

23

1788

GODOFREDI HESSELII
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS ADVOCATI
EXTRAORDINARII

COMMENTATIO
DE
IVRIBVS CIVITATVM
MEDIATARVM
IN GERMANIA.



ALTORFII ET NORIMBERGAE
APVD GEO. PET. MONATH
CICIOCCCLXXXVIII



Q : GODOTRIIDI HERASSELI
RELIBERISAE MONUMENRAE ADAGVATI
TAT ADOLESCENTIA


О И Т А Б К И М
С О Р Т А
МУТАТИОНИ
МЕДИАНИ
И Н Г Е Н И А

МУТОРИА ТА МОЛДАВИЯ
ПЛАНО ТА ОБОЗНАЧЕНИЯ
СИСТЕМА



OMNIA INCLITAETATIS
AC ROMANI IMPERII
MULIERUM LIBERAE ETAMUTRUM
REIPUBLICAE
NORIMBERGENSIS
S E N A T V I
SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTIBVS AC GENEROSISSIMIS
DOMINIS DOMINIS
D V V M V I R I S
T R I V M V I R I S
S E P I T O M V I R I S
C O N S V L I B V S
S E N A T O R I B V S
PATRIBVS PATRIAE OPTIMIS
MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS
INDVLGENTISSIONIS

OMNIVM RERV M MODERATORIS
IN IGVBERNANDA REPVBlica AVXILIVM
FORTVNATISSIMOS CONSILIORVM
S V C C E S S V S
AMPLISSIMVM VITAE SPATIVM
PERPETVVM FAMILIARVM ILLVSTRIVM
FLOREM
OMNIAQVE FELICITATIS GENERA
PIO ANIMO PRECATVS
HOC QVALECVNQVE SPECIMEN INAVGVRALE
OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA
SACRV M ESSE CVPIT T
TANTORVM NOMINVM
CONSATIBAS
SENATORIBAS
PATRIBAS OPTIMIS
CULTOR OBSEQUENTISSIMVS
INDIVIDUALIBAS
AVCTOR



INTROITVS.

§. I.

Inter eas materias, quae singulari pertractatione adhuc indigent, nulla certe dignior, nullaque mihi utilior videtur, quam ea, quae municipalium Germaniae civitatum iura continet.

Exstant quidem permulta iam dissertationes, in quibus varia quae ad municipalium civitatum iura spectant, dispersa deprehenduntur, tantum tamen abest, ut materia ista penitus sit exhausta, ut potius eam in meliorem ordinem redigentem variaque adhuc adjicientem, opus supervacaneum me suscepturnum esse, haud censeam.

§. II.

DE FONTIBVS IVRIVM CIVITATVM MUNICIPALIVM
IN GERMANIA.

Quod ad fontes attinet, ex quibus municipalium civitatum iura hauriri debent, praecipue hoc referre placet.



- I.) *Iura collegialia*, quae ex natura et indole cuiusvis civitatis profluunt, atque statutorum et consuetudinum particularium fontem constituant.
- II.) *Privilegia*, tam a principibus suis, quam ab imperatoribus olim impetrata. Non enim omnia iura, ex iure universitatis collegiali descendunt, sed permulta, ut pluribus infra ostendam, summi imperantis concessione vel expressa vel tacita innituntur. Nequaquam vero ipsa iuris civitatem condendi concessio, quae olim unius erat imperatoris, hodiernum ab eo dependet, sed vi superioritatis territorialis postea cum omnibus imperii statibus communicatae, ius illud ab ipsis exerceri potest. a)
- III.) *Pacta atque Recessus Provinciales.*
- IV.) *Leges et consuetudines Provinciales.*
- V.) *Analogia singularum Provinciarum vel potius civitatum municipalium cuiusdam territorii.*
- VI.) *Universalis municipalium Germaniae civitatum analogia.*

In primis autem hic quadam circumspectione opus est, ut veteres nempe civitates mediatae, atque tales, quae olim immediatis imperii civitatibus adnumerabantur, a recentiori tempore civitatis iure exornatis probe discernantur. Illae enim tantis persaepe iuribus hodie adhuc frumentur,

untur, ut nullum ferme, nisi solummodo immediatam
excipere velis, discrimen inter illas, nostrasque imperii
civitates immediatas intercedat.

Afferam solum nonnullas urbes tam insignibus iuribus
praeditas e. g. Moguntiam, Brunsuicum, Rostochium etc.

VII.) *Ius Romanum.*

Constitutio, aequa ac iura municipiorum Romanorum, a
nostris quidem civitatibus mediatis, mirum in modum
distant.

Municipes erant, uti *Gellius Noct. Attic. Lib. XVI. cap.*
13. ait: *cives Romani in municipiis legibus suis et suo iure*
utentes, muneris tantum cum populo Romano participes, a quo
munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus,
neque ulla populi Romani lege adſtricti, niſi populus eorum
fundus factus fit.

In plerisque quoque ea reipublicae forma fuit instituta,
quae imaginem quandam speciemque reipublicae Roma-
nae referret.

Nam si ordines quaeramus, decuriones, equites et ple-
bem inveniemus, si consilia publica, in senatum et popu-
lum; si magistratus et sacerdotes, in dictatorem, II, viros,
IV, viros, censores, aediles, quaestores, et flamines mu-
nicipiorum incidemus.

Neque



Neque fundi, uectigalia, ac aerarium deerant hisce civitatis, quorum redditus in primis impendebantur in moenia, pontes, vias, theatra, aliaque aedificia ac *urbis ornamenti*. etc. b)

In eo vero civitates imperio Romano Germanico nexus mediato devinctoriae, cum Romanorum municipiis quodammodo convenire mihi videntur; quod

- 1) urbes nostrae mediatae etiam autonomia limitata, quid? quod multae illimitata utuntur.
- 2) Sunt porro illis magistratus, quorum potissima cura in urbe rite tuenda atque conservanda continetur.
- 3) Nec non fundi atque patrimonium universitatis, quorum redditus in utilitatem civitatis impendantur necesse est.
- 4) Deinde nonnulla Romanorum municipia, quae civitatem Rom. optimo iure ita consequerantur, ut et tribui certae adscriberentur, suffragii iure gaudebant. Licet autem in plerisque Germaniae regionibus, ordines Provinciales ex Praelatis, Nobilibus et Vrbibus consistant, siveque et urbes mediatae in comitiis provincialibus suffragium ferant; ingens tamen a Romanorum comitiis disserim, tantaque generatim si internam oeconomiam urbium Germanorum provincialium spectes, in his rebus distantia, atque diversitas, ut vel uerbum addere necessarium haud censeamus. c)

Nih.

Nihilosecius tamen aliae saepe quaestiones, quarum fusius infra faciam mentionem, occurrere possunt, ubi decisio potissimum ex Romanorum legibus hauriri debet.

- a) PÜTTER's *historische Entwicklung der heutigen Staats - Verfassung des deutschen Reichs III. Tb. p. 267.* Sic Iohannes Georgius I. Saxonie Elector, sine speciali concessione Caesaris, in confiniis Bohemiae, condidit novam civitatem, dictam *Iohann-Georgen-Stadt Pfessinger ad Vitriar.* T. III. p. 146. Pari modo A. 1775. Landgravius Hassocasselanus pagum Gerstalmerode dictum, vasibusque fusoriis celebrem nulla adhibita concessione caesarea, ut commercia ibi magis florarent, iurium civitatis participem reddidit.
- b) CAROLI SIGONII *Tract. de antiquo iure civium Romanorum Italiae, Francof. 1593.* Lib. II. c. 6 sq.
- c) WALDSCHMIDT *de differentiis municipiorum et urbium Germ. media- tarum, Marburgi Cattorum 1749.*

§. III.

DE IVRIBVS SINGVLORVM CIVIVM MVNCIPALIVM IN GERMANIA,

Priusquam vero ad descriptionem iurium singulorum municipalium civium progredior, necessarium esse duco, ut notionem urbis municipalis, arduam sane praemittam.

Denotat autem, locum superioritati territoriali obnoxium, peculiari ut plurimum magistratu utentem atque pleno commercii civici iure exornatum.

B

Existunt



Existunt quidem in Germania nonnulli vici, commercii civici iure, quid? quod iure unionum s. gildarum praediti; verum enim vero maxima tamen ex parte isti non pleno commercii civici iure gaudent, exceptionemque a regula constituunt. a)

In praecipuis singulorum civium municipalium prerogativis, ex observantia plurimisque ordinationibus provincialibus illis competentibus, nominari meretur;

A) Facultas adspirandi ad dignitates, honores, et officia publica, quae in hac vel illa civitate obtinent, ad quae capessenda civibus aditus saltim pateat necesse est.

B) Competit porro solummodo civibus *ius utendi rebus universitatis*. Nec non

C) *ius adquirendi bona immobilia in urbe vel eius campimarchia sita*. Ob utilitatem enim publicam in multis statutis atque ordinationibus provincialibus alienatio praecipue bonorum immobilium in extraneos et peregrinos prohibita legitur; ita ut libera civibus refuso pretio, eiusque annexis, facultas eiusmodi bona immobilia vendita, actione nullitatis revocandi competat.

Sic in civitate *Budissensi* lus adquirendi bona immobilia in eius campimarchia sita, extraneis plane denegatur. b)

Eadem dispositio *Campoduni* quoque deprehenditur. c)

In

In marchia *Badensi* poena nullitatis et multa decem florenorum contravenientibus est imposta.

In ducatu *Württembergico* omnibus civibus ac subditis facultas concessa est res immobiles post annum 1530. in extraneos alienatas perpetuo revocandi atque reliundi. d)

Iure *Norico*-quoque venditio bonorum immobilium superioritati civitatis obnoxiorum ad extraneos plane est prohibita. Quod si vero tales qui reipublicae iurisdictioni haud sub sunt bona immobilia, successionis, donationis, aliove titulo adquirant, intra unius anni spatum civi ea vendere iubentur. e)

D.) In aliis contra Germaniae regionibus civibus praeter intuittu bonorum immobilium *ius retractus territorialis* adscribitur. Hic retractus autem a subiecto et personis quibus et contra quas competit, in *communem* et *specialem* dividitur potest.

Communis est, qui omnibus subditis et civibus unius territorii, contra omnes subditos et cives alterius territorii competit.

Specialis vero retractus (*Marktlofung*) a civibus unius civitatis contra cives alterius civitatis eiusdem tamen territorii exercetur. Afferam saltim nonnullas provincias in quibus ille retractus communis viget.

Sic in Electoratu Palatino hoc ius expresse concessum est, hisce verbis: *Da zu Zeiten ein liegend Gut einem ausländischen Fremden, so hinter anderer Herrschaft sesshaft, verkauft, so soll ein jeder Burger und Innwohner allda solche Lösung zu thun Macht haben, referente Manzio in Dec. Palatin. q. 10. n. 10. et q. 11. n. 7. add.*

Churpfälzisches Landrecht P. II. Tit. 9. §. fin. hisce verbis:

Und demnach sieb bisweilen zuträgt, daß Unsere Untertanen, Fremden und Ausmärkern ein liegend Gut, in Unserm Churfürstenthum der Pfalzgrafschaft bey Rhein um ein benannt Geld verkauffen, welches andere Unsere Untertanen und eines jeden Orts Einwohnere viel lieber selbsten um gemeldten Werth behalten wollten, lassen Wir es bey demjenigen, was hiebevor deswegen in Unserer Landes- Ordnung Tit. 15. statuirt und geordnet, durchaus bewenden. f)

Obtinet porro iste retractus in comitatu Stolbergensi. g)
Quoad retractum huncce generalem in Ducatu Würtembergico, distinguendum nempe hoc iure est, inter ea bona immobilia, quae iam ante annum 1536, et ea, quae post hunc demum in forensium manus pervenere, ita, ut haec omni tempore, nulla etiam eorum ad alium foreensem imminentia vel facta alienatione, quoniam possideri ex contractu

cen-

censeantur ipso iure nullo, revocari remedio nullitatis pos-
sint; illa autem quum contractum valide quondam initum
praesupponant, non nisi a forensi abalienata ad forensem et
iure retractus territorialis communis peti redimique de-
beant. h)

Retractum territorialem *specialem* inter cives unius eius-
demque territorii approbaverunt; iura *Würtembergica* P. II.
T. 16. Rubr. von *Markloßung* Ord. Prov. *Würtembergica*
Tit. 18. iura *Marchio Badenia*, *Landesordnung* Part. 6. Tit. 3.
pr. et §. 2 sq. *Principatus Hohenzolleranus*, *Fürstl. Hohenzolle-
risch. verbesserte Landes-Ordnung.* Tit. 39. §. 40. *Comitatus
Hohenloicus*, *Hohenlohisch. gemeinsames Landrecht.* Part. 3. Tit.
5. §. 11 sq. p. 75. i)

In plurimis denique Sueviae aliquaque Rhenanis atque
Franconiae locis hic retractus specialis constitutionibus vel
consuetudinibus receptus est. Pracecipue quoque ex obser-
vantia in municipiis superioritati reipublicae Norimbergen-
sis subiectis viget.

Regulariter itaque uti ex dictis comprehendere licet,
bona immobilia saltim retrahi possunt; nihilominus tamen
plures legislatores ius retractus ad bona quaedam mobilia,
ad victum amictumque potissimum pertinentia, ne eorundem
inopia ac caritate cives affigerentur, extenderunt.



In primis in ducatu *Würtembergico* plura huius retractus rerum mobilium exempla occurunt, partim in ordinatione provinciali partim in recentioribus Edictis fundata.

Huc pertinet a) retractus rerum hereditiarum restitutio-
nioni obnoxiarum (*der hinterfaelligen Güter*) b) pellium, c)
lanae, d) novi vini, e) boum saginatōrum f) denique ad-
huc retrahi possunt, frumenta et vina, ab administratoribus
redituum ad cameram ducalem utramque spectantium vendita.

Praeterea in terris *Brandenburgico* - *Culmbacensibus* retra-
ctus omnium rerum mobilium, in *Haffia* autem saltim iu-
mentorum, atque in terris *Tyrolensisibus* corii retractus intro-
ductus est. k)

Ceterum ex statutis quibusdam e. g. *Budissenibus*, *Quer-*
furtenibus aliisque, in emendis rebus in mercatu publico
venalibus, cives iure propolii quoque fruuntur. l)

a) Eiusmodi exceptio deprehenditur in Ord. Prov. *Holstiae* P. III.
P. 1377. et 1427. ubi viçis quibusdam commercii civici, atque unio-
num iura tributa sunt; sed non multum ab eorum opinione abhor-
reo, qui eos hoc ipso facto urbes euasisse censem. Tantis iuribus
quoque gaudet vicus *Fürth*. Nec non nobiles immediati circuli
Sueviae vi Priv. Caef. de a. 1683. pagis qui potestati eorum sub-
funt, iura unionum concedere valent. Olim quidem muri prae-
cipuum inter alia urbis characterem constitutæ videbantur, quod ve-
ro hodie vix amplius huc referri potest, ex quo plures urbes sine
muri conditae atque omnibus iuribus praeditæ sunt.

b) AV-

- b) AVGUST. FRIEDR. SCHOTTS Samml. zu den teutschen Land- und Stadtrechten. Leipzig. 1773, II. Th. p. 26.
- c) RICCIUS von Stadtgesetzen p. 570.
- d) SCHOEFFF de retractu territoriali communis, iure perpetuae relutionis et alienatione necessaria, seu modis cum primis Würtemb. reunienda bona incorporata a forensibus possessa. Tüb. 1742.
- e) RICCIUS von Stadtgesetzen. p. 569.
- f) SCHOEFFF diff. cit. §. 9.
- g) WAHL de iure protimis seu retractu territoriali perpetuo §. 18.
- h) SCHOEFFF de retractu terrae. Markt-Lösung German. dict. §. 3. et 27.
- i) SCHOEFFF de retractu territoriali germanice Markt-Lösung. Tüb. 1748, §. 7.
- j) Plura exempla attulerunt: KAFFF de iure retrahendi res mobiles. Tüb. 1771.
- walch's Naeherrecht. p. 155.
- k) SCHOTTS Samml. zu den teutschen Land- und Stadtrechten, II. Th. p. 31. et 155.
- §. IV.

DE IURIBVS COMMERCIT CIVICI QVAE E) MAXIMAM CIVIVM
MVNICIPALIVM IURIVM PRAEROGATIVAM EFFICIVNT.

Praecipua autem civium municipalium praerogativa
E) in facultate negotiationem civicam (bürgerliche Nabrunn)
exercendi, consistit, nempe commercia, opificia atque artes,
quae potiora oeconomiae urbanae capita constituunt. Ex
hac itaque ratione, atque ut civitates magis magisque flo-
rent, municipiis antiquissimis iam temporibus, tam a prin-
cipibus suis, quam ab imperatoribus, facultas concedebatur,

intra

—

intra milliarii districtum multa prohibendi, quae ex libertate naturali alias fuscipi potuerunt; e. g. ne nundinae institerentur, vinum atque cerevisia venderentur, commercia, opificiaque, exceptis solummodo iis, quibus ruri vitam degentes plane carere haud potuerunt, exercerentur. a)

Sigillatim nunc autem partium, ex quibus commercii civici iura consistunt, mentionem faciam. Inter civitatum iura eminet,

- 1) *ius Commerciorum*, sive *Mercatura*e, quod ita fere civitatibus proprium est, ut pagis plerumque plane negetur. Censem quidem nonnulli rerum Germanicarum scriptores, Heinrici I. temporibus, qui praecipue contra Hungorum incurfiones multas urbes exfriuendas, moenibusque cingendas curabat, commercia in eas esse translata, atque ad *Wittichindi* Annales plerumque provocant; verum enim vero, iste eiusmodi Henrici dispositionis mentionem haud facit. Nihilosecius tamen ex aliis diplomatis fide dignissimis constat, ius commercia exercendi, urbibus olim solummodo tributum fuisse. *Bulco* dux Silesiae in diplomate quo Friburgum A. 1337. civitatis iure donavit, huic urbi, ex more antiquo Franconiae et Teutonica, ius alendi mercatores et prohibendi opifices, in-

tra

tra, milliarii districtum concessit. vid, de *Ludewig Tom.*
IV. Rel. p. 41. et 42.

In plerisque hodie urbibus mercatorum collegia constituta deprehenduntur, quibus deinde ius prohibendi omnino competit, quominus alii quam ipsorum societati adscripti mercaturam exerceant.

Nec immerito *Pharmacopolia* commercio civico adnumerantur, praesertim cum ipsis summa inspectione et consumtione opus est. Negotium quoque ipsum partim ad mercaturam partim ad rem artificiarum proprius accedit, quae tamen civitatibus propriae putantur. b)

2) Praecipua porro commercii civici pars in *iure opificario* consistit. Ex pristinis enim iam temporibus res opificaria urbibus solum propria habebatur; nequaquam igitur in pagis nobiliumque praediis opifices admittuntur, nisi eos excipias, quibus rusticana vita plane carere haud potest, e.g. fartores, futores, pistores, fabros etc.

Opificibus etiam in municipiis vitam degentibus, ubi principis consensu in societatem coierunt, competit *iura unionum, gildarum, tribuum,* (das Zunftrecht, der Zunftzwang.)

Si ulla in re Germani urbium Italicarum instituta adoptarunt, factum id certe in collegiis corporibusque opificum instituendis.



Quum enim seculo XII. et XIII. plures urbes opibus atque commerciis florarent, ac comitum, scultetorum, ad vocatorumque, quibus ab initio suberant, imperium pa latim excuterent; cooperunt primo collegia senatoria, consules atque magistratus Italorum exemplo constituere, deinde opificum celebriorum collegia, eorundem more condere. Dicta sunt ea collegia in medio aevo, *gildae, uniones, Einnungen, Innungen, Zünfte, Aemter*, atque si analibus fides habenda est, illa circiter in medio seculi XII. orta sunt.

Illis autem magnos tumultus olim excitantibus, parum absuit, quin universa abrogarentur. Sic Fridericus II. in comitiis A. 1200. Goslariae habitis ea tollere cupiebat, sed haud prospere hoc ei successit. Nec feliciora fuerunt conamina Henrici VII. dum opificum collegia paulo post 1231. in comitiis Wormatiensibus, multis principibus de turbis eorum querelas moventibus, abolere gestiebat, quippe plebeii manibus pedibusque obnixe omnia faciebant. Eiusmodi igitur constitutis collegiis hodie ius prohibendi competit, quominus alii collegio haud adscripti opificium exercere queant.

Generatim vero iura eorum eximia, quae olim sibi opificum collegia arrogabant, conclusis imperii de A. 1731. et

et 1772, quae in illustrando iure opificario hodierno utramque faciunt paginam mirum in modum restricta sunt.

- 3) In municipum iuribus ex observantia et illud est, quod cerevisiam coquere, coctamque vendere possint. Regulariter igitur ruri degentes nobilesque cerevisiam coquere, et venalem habere nequeunt, nisi id sibi speciali privilegio concessum, aut praescriptione, transactione cum civitatis inita acquisitum doceant.
 - 4) Ius oenopolii quoque praesertim Saxoniae Elect. aliisque municipiis, ita asseritur, ut nobilibus, aliisque pagorum incolis, vinum aliunde coemtum, vendere non liceat. c)
 - 5) Quod denique ad ius coquendi et vendendi vinum aduultum attinet, nihil certi quidem hic statui potest; attamen in plurimis Germaniae provinciis, praesertim in *Saxonia Elect.* terrisque *Vinariensisbus* hoc ius urbibus proprium putatur.
- a) Vom Recht der Bannmeile, vid. *Historisch Diplomaticch Magazin.*
II. B. 3 St. n. 4.
- b) *WESTPHALIS teutsches und Reichsstaendisches Privatrecht.* I. Th. Leipzig 1783. P. 196.
- c) *Chursaechsisc h - Ord. Prov. de anno 1555. Rubr. brauen, schenken, und andere bürgerliche Handthierung aufm Lande.*

§. V.

DE IVRIBVS CIVITATVM MEDIATARVM EX IVRE
COLLEGIALI PROMANANTIBVS.

Ad civitatum municipalium iura, quae ex iure collegiali profluunt, refero.

I.) *Ius civitatem muris portisque cingendi.* Hoc vero non essentialibus sed naturalibus potius civitatum iuribus est annumerandum, cum urbes quoque in Germania existunt, muris portisque plane carentes. e. g, Bambergium.

II.) *Facultas universitatis bona adquirendi eaque administrandi.*
Res universitatis duplices sunt generis;

a) *Res universitatis stricto sensu tales sunt, quae in domino universitatis existunt, quarum vero usus ad singula eius membra spectat.* Huc pertinent: curiae, theatra, templa, ludi litterarii, molae, silvae, prata, furni etc.

b) *Patrimonium universitatis, quod oneribus universitatis sustinendis inservit.* Ex variis fontibus redditus promanant, qui ad patrimonium universitatis pertinent.

Praecipue notari merentur.

1) *Redditus vi dominii civitati competentes e. g. ex aedificiis civitati proprijs, fundis, fossis urbem cingentibus etc.*

2) *Redditus ex regalibus a principe municipio concessis, e. g. omnes redditus fiscales, ex detractu, vectigalibus etc.*

3) *Redi-*

3) Reditus qui ex iure collectandi collegiali profluent.

Hi aliquae reditus aerario urbis inferuntur, et salariis alisque publicis urbis commodis destinantur. Administratio rerum ad civitatem pertinentium in omnibus ferme municipiis magistratui municipali competit. Ex hac igitur ratione ipsi est facultas, constituendi aerarii praefectos, (*Stadtkaemmerer*) quorum officium idem est, ac administratoris generatim. Hinc res ad civitatem spectantes debita diligentia curare, rationes reddere, dolum et culpam levem praestare, ut et reliqua cum usuris morae restituere tenentur. Nequaquam vero novos sumtus absque magistratus superiorisque consensu erogare, nec civitatis bona alienare possunt. Civitates enim uti inter omnes constat, pupillorum iuribus fruuntur, quae itaque de pupillis constituta sunt, ea etiam ad civitates municipales pertinent.

Quibus ex causis ad validitatem alienationis requiritur;

- α)* Iusta causa, s. ob necessitatem, s. utilitatem.
- β)* Causae cognitio a magistratu instituenda.
- γ)* Opus est etiam consensu s. confirmatione domini territorialis.
- δ)* Porro quoque consilii est, civitatis bona publice sub hasta vendere.

C 3

In



In plurimis etiam municipiis nequidem hae solennitates sufficiunt, sed requiritur adhuc consensus *deputatorum ci-vium*, (*Bürgerdeputirten, Ausschüsse, bürgerliche oder gräffere Rathscollegien.*) Nec in hoc solum casu, sed in aliis gravioris momenti causis, e. g. si administratores civitatis mutuas pecunias sumere cupiunt, si bona universitatis locantur, rationes redundunt, hi in consilium vocari debent. a)

III.) *Ius conferendi ius civitatis*, quod municipiis ex iure collegiali etiam competit, regulariter est penes urbis magistratum, in quibusdam vero Germaniae provinciis confirmatio principis accedit necesse est. Sic receptio extraneorum in omnibus municipiis, quae reipublicae Nōrimerbergensi subsunt, nonnisi praevia causae cognitione, a curia provinciali instituta peragi potest. b)

Non recipere vero licet bannitos homines proprios, iudeos; quamvis iudei, auctoritate domini territorialis, hodie sub certis plerumque conditionibus recipiantur. Arcentur etiam in quibusdam municipiis *nobiles*. c)

In nonnullis porro Germaniae regionibus ab iis, qui in ci-vium numerum cooptari cupiunt, requiritur, ut certam pecuniac summam in bonis habeant. Sic in municipiis *Saxo Lēnacensibus* persona, quae iuris civitatis com-

pos

pos reddi cupit, patrimonio 200. Imp. instructa esse debet. Erfurti 200. flor. opus est. d)

In ducatu Würtembergico 300. flor. requiruntur. e)

IV.) *Ius condendi statuta subordinatum ex iure collegiali descendens.*

Potestas leges ferendi ex superioritate territoriali quidem profluit, ideoque principi solum, nec vero municipiis, tanquam corporibus subordinatis, nisi vel expressa vel tacita imperantis concessione hocce ius impetravere-rint, adscribitur.

Nihilosecius tamen in quibusdam casibus facultas statuta condendi ipsis haud est deneganda, praesertim cum cuilibet licitae, nec non privilegiatae societati, talia remedia ad finem sibi propositum obtinendum inservientia, eligere atque constituere licet.

Sic valent 1) tantum eiusmodi statuta res municipales, communitatisque, nec non Politiam urbis concernentia. Alias enim communitas fines potestatis ex societatis iure ipsis competentis excederet. Nec vero generatim definiri potest, quae sint res communitatis, sed hae partim ex communitatis fine, partim ex natura aliorum a municipiis acquisitorum iurium determinantur necesse est; e. g. si civitas municipalis iurisdictione est praedita, res quae iuris-



iurisdictionis exercitium concernunt, huc referri possunt.

2) Ne aduersentur autem talia statuta, absolute praeceptivis atque prohibitivis, tam imperii quam provinciae legibus.

3) Deinde eiusmodi statuta conventionalia supremae principis inspectioni subsunt. f)

V.) *Ad iura, quae civitatibus eo ipso quod civitates sunt, competunt, ius politiae pertinet.*

Hocce ius, quod urbes, exortis magistratibus, quibus hodie adhuc seu certis politiae collegiis administratio delata est, iam iam exercuerunt, concernit solum res municipales, partim ad securitatem, partim ad vitam commodioram iucundioremque gerendam spectantes.

Hac ex ratione urbibus municipalibus condere licet ordinationes incendiarias, pauperum, statuta vestiaria, convivia, nec non pretium frumentorum constituentia.

Ne vero respublica detrimentum capiat, salva tantum principis inspectione intelligenda sunt g)

VI.) *Ius collectandi collegiale ab illo, quod princeps vi superioritatis territorialis exercet, insigniter differens, municipia recte sibi arrogant, praesertim cum omnia societatis cuiusdam membra ex iuris collegialis legibus sint obstricta,*

stricta, ad ea, quae ad conservationem societatis pertinent,
conferenda.

Requiritur autem iusta necessitatis causa, atque ut redditus
civitatis ordinarii haud sufficiant.

Opus est etiam consensu deputatorum civium, principis-
que confirmatione ac ratihabitione, quovis casu impe-
tranda.

VII.) Cum civitates vel universitates non aliter, quam per
suos syndicos actiones litesve proponere et peragere
queant, propterea et municipia suos sibi possunt consti-
tuere *syndicos*, qui sunt actores sive defensores civitatis.
In multis urbibus syndici perpetuo hoc officio fungen-
tes deprehenduntur praecipue Brunsvigae etc.

VIII.) Ex iure collegiali profluit porro *ius conventus civium*
instituendi, ibique de causis civitatis collegialibus tractan-
di, cum societas hocce iure destituta ne cogitari quidem
possit.

IX.) *Ius eligendi sigillum.*

Quaevis enim persona publica signum habeat necesse est,
quo negotiis actibusque suis fidem conciliare possit. Ple-
rumque tamen principis confirmatio adhiberi solet.

D

X.) Ex



- X.) Ex iure communi varia quoque beneficia, ac iura, quorum singulatim nunc faciam mentionem, municipiis tribuantur.
- a) Sic generatim civitates municipales gaudent iuribus minorum; quae itaque de pupillis constituta leguntur, ea etiam ad municipia pertinent. h)
 - b) Quadriennio igitur restitutionis in integrum a momento quo, in locum mali, alias constitutus est administrator, uti possunt.
 - c) Contra civitates etiam quadragenaria praescriptio tantum locum habet. i)
 - d) Ususfructus civitati vel universitati concessus centum annos durat, nisi ante huius temporis lapsum universitas penitus dissolvatur. k)
 - e) Civitates municipales quoque in administratorum suorum bonis pignus tacitum habent. l)
 - f) Ratione eorum, quae civitatibus ex contractu debentur, privilegio personali in debitorum bonis fruuntur. m)
 - g) Civitas quoque ex administratoris mutuo non obligatur, nisi vel consensum legitime datum vel pecuniam in civitatis utilitatem versam esse creditor probet. n)

h) In

- h) In praxi denique civitatibus aere alieno obrutis competentiae beneficium tribuitur, ut scilicet aliquid residui maneat, ad publicas necessitates, e. g. ad reficienda aedificia publica, persolvenda salario, quamvis, tali casu existente, numerus personarum publicarum, ad paucitatem redigi, atque salario etiam diminui soleant. e)
- XI. Ex iure collegiali denique promanat adhuc facultas nominandi atque eligendi magistratum civitatis, cum quodvis corpus eas personas eligere possit, quibus legitimam administrationem iurium suorum demandare velit. Hoc die vero per paucae urbes iure nominandi atque eligendi magistratus omnimodo gaudent, sed vel ad principis confirmationem petendam obligantur vel principes hocce ius sibi sumunt.

In *Ducatu Württembergico* ius nominandi ac eligendi praepositos (*Communvorsteber*) civitatibus adhuc sartum tetumque conservatum est. p)

In *Prussia* hoc electionis ius a rege hac conditione civitatibus confirmatum est, ut subpraefectis, qui missionem impetrarunt, militibusque invalidis officia minora conferrantur. q)

Quod ad municipia reipublicae *Norimbergensis* subiecta attinet, ius eligendi magistratibus quidem municipalibus

tribuitur, sed non nisi sub auctoritate Curiae Provincialis, et illustrum Deputatorum in quovis actu electionis praesentium.

In plurimis autem municipiis ad hancce dignitatem saltim iure civitates iam exornati, virique morum bonitate conspicui, atque dignitate eminentes adspirare possunt. Non nunquam etiam requiritur, ut illi, qui magistratus munericis participes reddi cupiunt, gradum doctoris aliasque qualitates adquisiverint, seu ex tali familia, cui aditus tantum ad hanc dignitatem capessendam patet, ortum traxerint. r)

Numerus vero senatorum admodum est varius, ita ut nil certi definire liceat.

Quod ad iura attinet, quae magistratibus municipalibus regulariter tribuuntur; hic referri merentur sequentia.

i) Collegio senatorio administratio aerarii urbani omnino competit, vocatis tamen in partem deputatis civium.

Hac igitur ex ratione ipsi est facultas

- a) Custodiendi arcam civitatis.
- b) Constituendi officiales camerae.
- c) Exigendi, atque administrandi redditus.

d) Ratio.

- d) Rationes ipsi quoque ab officialibus quotannis reddantur necesse est, in plurimisque municipiis hoc casu deputati civium adhuc adhiberi solent.
- e) Nec minus magistratui facultas competit civitatis expensas determinandi.
- 2) Senatui oppidano porro ceteros civitatis officiales nominare atque constituere licet, e. g. grammateos, actuarios, vigiles, lictores etc. *)
- 3) Administratio etiam iurium collegialium, ad urbis magistratum pertinet.
- 4) Denique non potest non ipsi facultas competere administrandi cetera urbi a principe concessa regalia. f)
- a) FISCHERS *Lehrbegriff saemtl. Kameral- und Polizeyrechte*, I. Th., p. 588.
- b) COLMARI *diff. de iure civit. Norimb.* Alt. 1731, §. 15.
- c) HOMMELII *diff. de adquirendo vel amittendo iure civit.* §. 12.
- d) EMINGHAVS *diff. de adquisitione et resignatione iur. civit.* §. 19.
- e) WÜRTTEMBERGISCHE *Commun- Ordnung.* S. 45.
- f) Egrégie hancce materiam enodavit SCHNAUBERT *in den Beytrægen zum teutschēn Staats- und Kirchenrecht*, Gießen 1782, n. 5.
- g) FISCHER l. c. p. 596.
- h) l. 3. C. de iure reipublicae.
- i) Nov. III.
- WALCH *Contr. Iur.* p. 100.
- k) l. 56. de usufructu et quemadmod.

- D) I. 20. C. de administrat. tut.**
GMELINS Ordin. der Glaubiger. Frankf. und Leipz. 1776. p. 327.
m) I. 33. §. 1. ff. de rebus auct. iud. possid.
GMELIN l. c. p. 392.
n) I. 27. D. de rebus creditis.
KOBII Tract. de pecunia mututicia tuto collocanda §. 49.
o) KOBII Tract. §. 49.
STRYCK Vsu mod. Pand. Lib. 42. Tit. 3. §. 21.
p) Würtenbergische Commun - Ordnung. I. Abschn. §. 1.
q) FISCHER l. c. p. 634.
r) Existit enim etiam in quibusdam civitatibus municipalibus patriciorum ordo. FISCHER l. c.
s) vid. generatim FISCHER l. c.
*** In Rep. Norimb. Gramatei a Curia Provinciali sub auctoritate Per-
illustris Senatus confituantur.**

§. VII.

DE HIS CIVITATVM IVRIBVS QVAE SINGVLARIBVS TAM IM-
PERATORVM QVAM PRINCIPVM PRIVILEGIIS NITVNTVR.

Praeter ista ex iure collegiali promanantia iura, pluri-
mae sene civitates aliis adhuc iuribus gaudent, quae tam im-
peratorum, quam principum suorum concessionē vel ex-
pressa vel tacita illis obtigerunt.

Sic I) multae urbes jurisdictionem et *civilem*, et *crimi-
nalem* adquisiverunt. Antiquissimis quidem temporibus scul-

teti

teti in discutiendis causis ad civilem, principum vero advoca-
ti ad criminalem iurisdictionem spectantibus versabantur,
electis tamen scabinis, qui sententiam pronunciarent. Aft
successu temporis, quum pleracque urbes potentiores eva-
derent, ac divitiis abundarent, facillime illis occasio data fuit,
amplissima iura adquirendi.

Quum enim principes pecunia persaepe indigerent, a
civitatibus suis opulentioribus praeципue eam sumere coge-
bantur, atque illis pecuniam offerentibus varia iura, ac, in-
ter cetera iura, etiam iurisdictionem concedebant. Multae
porro urbes iurisdictionem civilem ac criminalem praescri-
ptione immemoriali, aliisque titulis adquisiverunt. a)

Praecipue urbes mediatae in *Ducatu Würtembergico* im-
memoriali praescriptione tam civilem quam criminalem iu-
risdictionem adeptae sunt.

Omnis quoque civitates *reipublicae Norimbergensi* sub-
iectae gaudent iurisdictione civili, quid? quod nonnullae
etiam iurisdictione criminali, e. g. Altorfum, Laufa, Her-
sprucum. Delinquentे deprehensō plerumque res ita ex-
pediri solent. Inquisitio generalis soli praefecto scabinisque
loci competit; quodsi vero ad inquisitionem specialem est

pro-



progrediendum, Norimbergam delinquens dicitur, ibique iudicio criminali ordinario traditur (*Schoepfenant*). Sententia deinde criminali lata delinquens remittur, ibique habito prius iudicio criminali, executio sententiae peragitur, quamvis hodie, ut impensis parcatur, raro id fieri soleat. b)

II.) *Ius fisci* multis etiam urbibus provincialibus competit. Regulariter quidem iura fisci ad principis regalia pertinent, nec ipso iure civitatibus mediatis conceduntur; nihilofcicus tamen plures urbes ius fisci principis concessione expressa aut tacita acquisiverunt. Praecipue in *Saxonia Electorali* magistratibus municipalibus ius fisci, in facultate occupandi bona vacantia praecipue consistens, principis beneficio indultum est. Extra Saxoniam multae quoque urbes hocce iure sunt exornatae. c)

Quod ad municipia *Norimbergensia* attinet, ius fisci a Perillustri Senatu exercetur.

III.) Eodem modo civitatibus mediatis *ius flatuendi absolute tale* obtigit. Recentioribus autem temporibus, cum potestas legislatoria tanti habeatur, hocce ius mirum in modum est restrictum, atque per paucae tantum urbes eo adhuc fruuntur. Sic *Franckenbergium* in Hassia, *Wismaria*, *Rostochium*

chium, Stralsundum, illo iure statuendi absolute tali gau-
dent. d)

Eiusmodi vero urbes

- a) nec talia statuta condere possunt, quae principum rega-
libus officiunt. e)
- b) Multo minus statuta provinciae saluti adversantia, praec-
fertim quum etiam in Germania imperii statibus tales le-
ges provinciales ferre haud liceat, quae in detrimentum
imperii vergunt.
- c) Denique adhuc statuta perniciosa a principe vi supre-
mae inspectionis restringi, atque pro diversitate circum-
stantiarum penitus tolli possunt. f.)

IV.) Principum privilegiis ac praescriptione immemo-
riali, innititur porro *facultas detractum exigendi*, praecipue
cum partem iuris collectandi efficiat, ideoque principum re-
galibus sit adnumeranda. Multae tamen urbes mediatae hoc
iure sunt exornatae.

Sic in generali privilegiorum confirmatione civitatibus
suis iuris detraictus exercitium simul firmavit *Georgius Wil-
helmus Marchio Brandenb. Culmbac.* Pari modo in *Ducatu*

Brunsvico Luneburgensi ius detraictum exigendi civitatibus, si possessionem eius longaevam probare possunt, ab electore A. 1703. confirmatum est. g)

Civitates municipales *reipublicae Norimbergensi* subiectae, gaudent quoque iuris detractus exercitio,

V. Nonnullae urbes municipales, uti *Magdeburgum, Minda, Halberstadium, Sedinum, etc.* ius numos cudendi, plures adhuc *vectigalium ius privilegiis* sibi compararunt, h)

VI.) Nec minus in iis territoriis, in quibus ordines provinciales vigent, quorumque consensu in gravioribus negotiis opus est, civitates municipales *iure suffragii in comitiis provincialibus* gaudent. Haec iura praesertim in *Ducatu Würtembergico*, atque in *Hassia* obtinent. i)

VII.) Praeterea quum commerciis promovendis maxime inserviunt nundinae solennes, (*Meffen*) in nonnullis urbibus mediatis auctoritate Imperatoris Dominique territorialis illae instituebantur.

Praecipue insignes sunt nundinae *Francfurti ad Viadrum, Lipstiae, Naumburgi, et Brunsvigae* quae, imperatorum concessione adhuc innituntur. k)

Nundi-

Nundinae vero minus solennes (*Jahrmaerkte*) in plurimi urbibus municipalibus institutae deprehenduntur.

VIII.) *Ius stipulae*, quo mercatoribus necessitas imponitur, in certo districtu, merces advectas, vel indistincte omnes, vel determinatas tantum in loco privilegiato civibus venum exponendi, etiam multis olim urbibus commercio florentibus obtigit. Tali insigni iure praecipue gaudet *Lipsia et Magdeburgum.* D)

IX.) Fruuntur etiam vi privilegii quaedam civitates *iure emporii*, quod civitatibus facultatem tribuit, ut quidem unusquisque extraneus merces suas eo transferre venumque exponere possit, nemini vero extraneo, sed mercatoribus aut civibus istius loci illas vendere liceat.

X.) Denique notari adhuc meretur *ius Geranii*, quod vestigialibus plerumque est annexum, atque necessitatem infert, non quidem vendendi merces transvectas, sed ponderandi, vel mensurandi, ne vestigalia defraudentur.

a) BVDER *diff. de modis adquisitiae a civitatibus Germaniae mediatis iuriis criminalis.*

b) QVENZER *diff. de nemesi provinciali Norica.*

c) MENSER *diff. de iure fisci civitatibus municipalibus competente.*

d) RICCIUS *Entwurf von Stadtgesetzen.* p. 339.

e) RICCIVS l. c. p. 346.

f) RICCIVS l. c. p. 356.

g) BONHOEFFER *diff. de iure detractus.* p. 71.

h) FISCHER l. c. p. 626.

i) *Vollstaendige Darstellung der Rechte des groeßern bürgerlichen Raths zu Nürnberg sowohl überhaupt als besonders in Steuersachen.* p. 55.

k) PÜTTER's *historische Entwicklung der heutigen Staatsverfassung des deutschen Reichs* III. Th. p. 266.

l) PÜTTER l. c. p. 278.

§. VIII.

DE SUPREMA PRINCIPIS INSPECTIONE IN VRBES PROVINCIALES.

Variis modis suprema haec principis in urbes municipales inspectio se se exserit.

- 1) Illi, qui in civium numerum recipi cupiunt, uti supra iam eius mentionem feci, saepe principis adhuc concessione, atque consensu indigent.
- 2) In plurimis etiam Germaniae provinciis si eliguntur deficientes magistratus, aut electioni a principe delegatus adsit, aut principis confirmatio accedat neceſſe est.

3) Quum

- 3.) Quum porro reipublicae quam maxime interfit, ut universitatis bona conserventur, nec temere dissipentur, civitates quoque vel qui eis praesunt, de bonis locisque suo arbitratu disponere eaque alienare nequeunt, nisi imperato principis consensu. Quodsi vero inscio principe alienatio suscepta fuerit, invalida est, alienataque revocari possunt. a.)
- 4.) Ex hac itaque ratione generatim nulla insignis bonorum civitatis mutatio sine principis praescitu suscipi potest; sed semper, ne illa in reipublicae detrimentum vergat, utque potius usus bonorum in commune civitatis commodum dirigatur, cognitione est necessaria.
- 5.) Ne vero civitates municipales aere alieno obruantur, atque inde summum detrimentum capiant, multo minus illis, qui civitatibus praesunt, mutuas pecunias sumere licet, nisi antea principem de eo certiorem reddiderint, ut causae cognitionem de necessitate instituere possit.
- 6.) Si qua opera publica seu aedificia in locis universitatum exstruenda, illa nonnisi principis auctoritate adornanda sunt. Quamvis quidem magistratus urbis de sumptuum ratione, quibus opus sit, nec non de aedificandi modo, quo commodis universitatis maxime consulatur,

— — —

recte consilia ineat, nihil tamen prius conficiendum cu-
ret, quam instituti ratione ad principem relata, ab eoque
comprobatione impetrata. b)

7) Nec quoque est dubitandum quin principi ius competit
singulis annis rationes redditum urbis exigendi. Sunt
enim civitates personae quasi minorennes, adeoque tute-
lae principis supremae eo magis subiectae, quum principi
quam maxime cura cordique esse debeat, ne civitates,
in quarum conservatione salus totius reipublicae potissi-
mum consistit, mala administratione pessimum dentur, atque
ad incitas redigantur. Usque ad dimidium seculi XVI.
urbes statum aerariorum mirum in modum celabant, atque
principes ab omni cognitione arcebant; hodie vero in
omnibus bene ordinatis Germaniae provinciis, quotannis
rationes seu coram principum commissariis redduntur,
seu eorum collegiis ad revisionem exactamque cognitio-
nem de iis instituendam traduntur c)

8) Illae etiam civitates quae iure statuendi absolute tali
hand gaudent, si earum statuta effectum producere debent,
principis confirmationem approbationemque antea ut pe-
tant obligantur. d)

Civitates

Civitates municipales Norimbergenses igitur, si statuta condere velint, prius iudicio provinciali ea proponere debent. Deinde ab illo ad senatum deferantur, eiusque demum confirmatio accedat necesse est.

9) Quamvis autem nonnullae urbes iure statuendi absolute tali fruantur, nihilosecias tamen uti supra memoravi, statuta et consuetudines quae rationi adversantur, ac ex quibus damnum reduntat, a principe vi supremae inspectionis restringi, atque penitus abrogari possunt.

10) Opus est porro inspectione principis si ordinationes politiciae maioris momenti conduntur.

11) Nec ius collectandi collegiale a civitatibus, necessitate id exigente, aliter exerceri potest, quam adhibito in singularibus casibus principis consensu.

12) A sententiis quoque in civitatum iudiciis latis, ad principis dicasteria appellari potest.

Concessa vero a Domino territoriali civitatibus criminali iurisdictione, ea, ne concedentis superioritas aliquid detrimenti capiat, praecipue eius inspectioni subest.

Hinc iudices criminales in civitatibus mediatis

a) sen-

-
- a) sententiam legibus provincialibus conformem ferre debent.
 - b) Nec tumultuarie quoque procedant, alias enim queriae de nullitate processus ad principem deferri possunt.
 - c) Protracta vero iustitia mandata de denegata et protracta iustitia petere licet.
 - d) Ob abusum civitates provinciales iurisdictione omnino privari possunt.
 - e) Competit porro principi ius sententias, in quibus poena capitalis decernitur confirmandi, ac
 - f) denique ius aggratiandi. e)
- 13.) Generatim denique omnia civitatum mediatarum iura supremae principis inspectioni ita sunt subordinata, ut ob abusum ea restrungi, et in communem totius reipublicae salutem dirigi possint.
- a) GE. LVD. BOEHMERI *Elect. iur. civil.* p. 582. et 632.
LFYSER sp. 676. m. 13.
FISCHER l. c. p. 633.
- b) BOEHMER l. c. p. 583. et 632.
- c) STRYCK *Uf. Mod. D. hoc. Tit.*
FISCHER l. c. p. 628.
- d) RIC.

d) RICCIUS l. c. p. 357 f. q.
e) BVDER dif. cit. p. 24 f. q.

§. IX.

DE INTERITV CIVITATVM MVNICIPALIVM.

Supereft, ut etiam de modis agam, quibus vel singula civitatum municipalium iura, vel integra civitatum municipalium iura et privilegia, finiuntur seu tolluntur. Refervi
huc poſſent

I.) ABVSVS iuris cuiusdam, contra ſalutem publicam tendens, cum reliqua privilegiorum analogia, ſecundum quam, uti inter omnes conſtat, abuſus privilegii inter praecipuos finiendi modos pertinet, omnino quoque ad privilegia civitatum municipalium ſua ratione applicari potheſt.

Tolluntur etiam II.) ob *delicta graviora*, praefertim perduellionis et laefae maiestatis, quae olim iam in Germania poena banni atque privationis notabantur.

Quoniam vero a) propter abuſum ſingulorum iurium non facile ad eorum privationem princeps progredi potheſt, ſed alii mulierarum atque coercionum modi tentantur; deinde b) administratorum viventium abuſus atque excessus posteris innocentibus praeiudicium inferre, eisque iura ſua

THESES

F

sub-

subtrahere, iniquum esset; c) poena banni vel totalis privationis hodie vix amplius occurrit; denique d) delicta talia integrum totius civitatis municipalis eversionem seu privationem post se trahentia rarissime occurrunt: vix curatores quasdam regulas adornare conatus sum, quae ad praxin forensem congruo modo applicari potuissent, praesertim cum non tam inspectio rerum criminalium, quam potius civilium, ad finem huius dissertationis spectauerat.



THESES.

THESES.

I.
Est providentia.

II.

Male de vitae brevitate homines queruntur.

III.

Anima est immortalis.

IV.

Autochiria regulariter naturae repugnat.

V.

Hannibalem autem bene egisse puto, quod venenum sumisit.

VI.

Brutus atque Cassius intempestive vero sibi mortem voluntariam adsciebant.

VII.


Homicidium qualificatum, quod Feigelius nuper Norimbergae commisit, iuste poena rotae affeatum est.

VIII.

Hocce enim delictum, quod homo iste nequissimus commisit, ob spem lucri, latrociniī naturam induebat.

F 2

IX. Om-



IX.

Omissionem defensionis in causis criminalibus maioris momenti nullitatem processus involvere, *Meisterus* atque omnes fere iuris criminalis doctores censem.

X.

Mos veterum Romanorum atque Germanorum, quo poenae capitales in comitiis totius populi decernebantur, est egregius.

XI.

Tortura non est penitus abroganda.

XII.

Harmonia hominum felicitatem tantum promovet.




ULB Halle
003 331 415

3



TA-OC





1788

23

GODOFREDI HESSELII
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS ADVOCATI
EXTRAORDINARII

COMMENTATIO
DE

IVRIBVS CIVITATVM
MEDIATARVM
IN GERMANIA.

D. 11/4.



ALTORFII ET NORIMBERGAE
APVD GEO. PET. MONATH
CICIOCCCLXXXVIII

